RECTOR
ACADEMIÆ GIESSENÆ CÆTERIQUE PROFESSORES
S. D. L. S.

DEMADES interrogatus, quem doctrinæ habuiſſet Magiſtrum, opportunè reſpondit: τὸ τῆς Ἀθηναίων βῆμα, Athenienſium Cathedram: *ſive enim intellexit Profeſſorum, qui in eâ Academiâ docuerunt, celebritatem, eo ſuit tĕpore* πάντων ἀνθρώπων κοινὸν παιδευτήριον, *elogio Diodori Siculi; ſive reſpexit Studioſorum, qui eò confluxerunt copiam,* Ἑλλάδος *fuit* Ἑλλάς, *titulo Euripidis; ſive denique doctrinæ bonitatem,* σοφίας *erat* πρυτανεῖον *Ariſtidis encomio. Quæ illi de Athenienſi Academiâ elogia ſcribunt, nos dicturi ſumus meliùs de Athenæis Chriſtianis, quæ pietatis, juſtitiæ, omnisq́ litteraturæ melioris meliora ſunt Aſceteria & Seminaria, ad Eccleſiæ militantis tutelam, Reipublicæ langueſcentis medelam, artium & linguarum clientelam. Nemo certè meliùs de Eccleſiâ & Republicâ merentur, quàm qui Scholis & Academiis optimè provident, & iisdem operam* χείρεσσι ποσίν τε *navant; neque enim is ſolùm Reipublicæ prodeſt, qui ad militiam & arma inſtruit juventutem, qui in foro exercet reos, deq́ juſtitiâ cauſæ diſſerit acutè pro roſtro; ſed ii potiſſimum, qui juventutem informant ad pietatem, virtute inſtruunt, doctrinâ expoliunt, quod certè exercitium Academicum eſt ad publica negotia utiliſſimum. De Academiis autem uſurpari meritò poteſt, quod ſcribit Cicero ad ICtum Trebatium:* Nulla ars *ſine interprete & ſine aliquâ exercitatione* percipi poteſt. Num *Ius Civile veſtrum* ex libris cognoſci poteſt? qui quanquā plurimi ſunt, *Doctorem* tamen *lumenq́* deſiderant. *Duo hic ponit Orator,* Doctoris interpretationem & Exercitationem, *velut nos in Academiis loquimur,* Auditionem Lectionum & Exercitia Diſputationum. *Illa dicitur* ἀκρόασις, *hæc* ἄσκησις. *Illa eſt Studioſi* φιληκόου *nota, hæc & Profeſſoris & Studioſi genuina teſſera eſt. Academias illuſtrant Profeſſores unà & Studioſi, inq́ iis utrorumq́ profectus exercitationibus provehuntur. Profeſſoris munus eſt in Academicam ſalutem omni cogitatione ſtudioq́ incumbere. In hanc curam Deus vocat, Princeps requirit, conſcientia ſolicitat, ut Studioſis conſulatur omni conſilio, ſtudio, officio, operâ, labore, diligentiâ. Gravis certè adverſaria conſtituta eſt Profeſſoribus Academicis, quam præ oculis habuit magnus ille Academiæ Tubingenſis Cancellarius D. Iacobus Andreæ, publicis privatisq́ curis usque ad extremum halitum diſtrictiſſimus, cujus verba coram Collegis ſuis fuêre noviſſima, quum illis morti vicinus gravi ſermone valediceret:* Was Ich etwa im Senat mit Euch geredet/weiß mein Gott und Herr/daß Ich ſolches guter Meinung und umb der Jugend willen gethan hab/darmit dieſelb in Lehr Zucht und Erbarkeit erzogen werden möchte/dann wir ja wohl wiſſen/wann ein junger Student verderbt wird/ſo wir wohl hätten verhüten können/daß wir dann an jenem Tag ſchwere Rechenſchafft ſeint halben geben müſſen/und bitte auch/daß man furohin getreulich ob der Jugend halten wolle. *Nullus verior æſtimator eſt ſtudiorum Studioſorumq́, quàm qui de conſcientiâ ſumit exemplum, æſtimationemq́ nobis relinquunt Statuta noſtra Academica, in quorum Corpore Lex extat Tit. XX. talis* Profeſſorum omnium commune officium eſt, ut ſint fideles, & rectè ac fundamentaliter didicerint ipſi ac teneant artem, quam ſinguli profitentur. Præter ſalutarem doctrinam egregium ſuæ exiſtimationis atque imitationis exemplum juventuti pietate, morum gravitate, & vitæ integritate præbeant. Profeſſores ament ſtudioſos, velut Filios, iisdemq; conſilio atque operâ, citra detrimentum, ſubveniant. *De Studioſis verò ita tit. XIV. proviſum eſt, ut quisq; loco juramenti promittat, antequam in Matriculam nomen det ſuum,* ſeſe adhibiturum diligentiam in diſcendo, dignam perſonâ Academicâ, & lectiones neceſſarias auditurum ſedulò. *Amœbæa ſic ſtudia requirūtur, inq́ publico videri & audiri & approbari laus eſt Profeſſoris & Studioſi. Profeſſorem excitet Auditoris ſedulitas Studioſiq́ docilitas. Studioſum recreet Profeſſoris amabilitas vivaq́ vocis gravitas,* altius enim in animo ſedet, quæ pronunciatio, vultus, habitus, geſtus etiam dicentis *Profeſſoris* affigit, *quod Plinius Secundus Nepoti ſuo ſcribit. Excitat Auditorii frequentia Profeſſorium munus, nam, quod Quintilianus ait,* optimus quiſque Præceptor frequentiâ gaudet, & majore ſe theatro dignum putat, celebritate audientium inſtructus. *Non ſolùm autem congregationis Academicæ multitudo nos conſtringit ad diligentiam, ſed etiam ipſa ſolitudo nos vocat ad neceſſitatem vocationis, de qua raritate auditorum ſolitudineq́ auditoriorum contra temporum injuriam jure conqueſtus fuit vita & eruditione pariter inſignis Vir Matthias Berneggerus, Profeſſor Argentinenſis, cùm præfatur ad Suetonii Diſſertationis. Ait quodam in loco B. Apoſtolus:* Videte vocationem veſtram. *Quapropter & nos ipſa interdum in raritate conſideremus vocationem noſtram, quæ etiam duobus aut tribus obligata eſt, æquumq́ eſt, licet ſit moleſtum, paucis ſe benevolum præſtare, ut multos inde provoces, dum paucis prodes. Pernitioſum erit atq; periculoſum negligentius agendo neque multorum neque paucorum habere rationem. Sicut pretioſum & fructuoſum eſt in multorum medio poſitum diligentiam præſtare; ita periculoſum eſt aliquid deſtructionis egiſſe vel in uno. Delectabilis fuit nobis præterita æſtas, quâ quid egerint Muſæ noſtræ, calida adhuc ſubſellia videntur ediſſerere, è quibus prodierunt ad publicam cathedram cum laude nominis ſui applauſuq́ Iurecōſultorum ſex Iuris Prolytæ, eruditionis præmium ſupremum accipientes, unde intelligi datur Auditoria noſtra nondum in ſolitudinem eſſe redacta. Eodem nunc pergemus tramite ad Muſarum ſacraria, nec expectatio noſtra erit irrita, cùm præſtò ſint in quatuor Facultatibus amiciſſimi Muſarum Filii, qui & ipſi ambiunt & urgent honores Academicos. Sic Dei benignitate adhuc feliciter agimus, lucubrationesq́ noſtræ Academiæ in medium proceſſuræ ſunt per hyemales ſoles pro Academiæ noſtræ, quod ſperamus, dignitate, & emolumento Academicorum, quos eruditos amamus, quia jure eruditi ſunt.* Docti doctos amant, ſi jure docti ſunt. Sic *Soſtratus ille Academicus Arrium alloquitur apud Plutarchum. Non diverſa voce compellamus Academicos Studioſos, ſi jure Studioſi ſunt, quos eo nomine amamus publicitusq́ commendamus. Dabimus a. operam futuris noſtris laboribus, ut nos ex ſolicitudine debita molli quodam faciliq́ ductu in laborioſos evadamus Profeſſores; vos pro dignitate in Studioſos gratioſos. VALETE. Perſ. Gieſſæ d. 14. Sept. 1663.*

IN FACULTATE THEOLOGICA.

PETRUS HABERKORNIUS, S. Th. D. Profeſſor P. inſtante hyeme, continuabit Lectiones & Diſputationes publicas Theologicas; ut & Collegium privatum Rabbinicum; Alia etiam Collegia in utilitatem & ex deſiderio Studioſorum aperiet atque abſolvet.

JOHANNES NICOLAUS MISLERUS S. Th. D. Ejus ut & Hebrææ Ling. Profeſſ. In Syntagmate Theologico publicè pertractando, volente Deo, perget: additurus privatim Collegia tum Theologica tum Hebraica, pro Auditorum deſiderio.

MICHAEL SIRICIUS SS. Theol. D. & Prof. Ordinarius publicè prælectiones de Juſtificatione, continuabit; Additurus articulum de S. Cœna. Privatim continuabit Collegia ſua Catechetica; & Collegio ſuo Biblico in Matthæum adiunget explicationem Epiſtolæ ad Romanos.

IN FACULTATE JURIDICA.

JOHANNES OTTO TABOR, D. Conſiliarius Haſſo-Darmſtadinus, Academiæ Cancellarius & Profeſſor primarius, quandoquidem hactenus evenit, ut propter crebras diſputationes examina ſolemnia, aliosque actus publicos lectionum habendarum tempora ſæpiuſculè intercepta aut interrupta fuerint, adeoque & Doctores & Studioſi induſtrii ſcopū præfixum attingere debito tempore non potuerint, incommodo huic ita mederi conabitur hac vice, ut lectiones feudales, quas aliàs calamo aut auribus excipere Domini Studioſi ſolebant, mox negligendas aut oblivioni committendas, æreis deinceps typis deſcriptas ipſis ſub initium cujusque ſeptimanæ exhibiturus ſit, ut de iis hebdomadariæ diſputationes publicè aut privatim poſſint inſtitui. Reliquas horas explicandis quæ ſuperſunt Juris publici materiis impendet.

GREGORIUS TULSNERUS V. I. D. Conſiliarius Haſſo-Darmſtad. & Profeſſor Ordinarius, notabilium Legum Codicis Juſtinianei explicationem, Deo clementer opitulante, per inſtans ſemeſtre hybernum, continuabit: Caſus etiam ſingulares Facultati Juridicæ ſubinde oblatos, publicè proponet & reſolvet.

JACOBUS LEBLEU, V. I. D. & Profeſſor Ordin. in Juridicis Lectionibus publicis, explicabit materiam Contractuum privatimque, permittente Divinâ clementia, juris collegia pro lubitu Dn. Studioſorum aperiet.

MARTINUS Müller *V. J. D. & Profeſſor Ordinarius* in Jure Canonico prout auditores habebit, publicè leget ſelectiora, & in praxi utiliora, illis ſeſe accommodando. Privatim ſua continuabit Collegia explicatoria & diſputatoria, plura præſtiturus, quam promiſſurus.

HULDERICUS Eyben/ *Jur. Doct. & Profeſſ. Ordinarius* publicas prælectiones & Diſputationes debitâ diligentiâ continuabit: privatim verò, *D. D. Commilitonum* ſtudia legitima, B. C. D. variis exercitiis & collegiis, quæ vocant, omni ſide ac ope, porrò juvabit.

IN FACULTATE MEDICA.

JOHANN. DANIEL HORSTIUS per *Annos XXVI. Archiater & Medic. Profeſſor Prim.* propter abſentiam *licet non poſſit* Lectionibus & Diſputationibus Ordinariis operam dare, id tamen aget, ut, neceſſitate urgente, *Conſiliis & Inauguralibus Actibus* impoſterum quoque, uti per aliquot annos hactenus factum, *Medicæ Facultati* animi promptitudinem inſerviendique ſtudium conteſtetur.

JOHANNES TACKIUS, Phil. & Med. D. Profeſſor & Archiater Haſſo-Darmſtadinus, poſtquàm ab Academia ad Aulam vocari cœpit, non propterea ſe à laboribus; Academiæ & juventuti debitis, abſtrahet; omnibus Philiatris ſuam offert & pollicetur προθυμίαν etiam hâc hyeme conteſtandam.

LAURENTIUS STRAUSSIUS, Medic. D. & Profeſſor Ordinarius tàm publico quàm privato ſtudio *Noſologiam* tractabit, non neglectis Recentiorum Inventis, quæ prout auditor Jatroſophus ſtudium excitabit, vel Diſputando, vel Caſuum enarratione, ὅλῳ θυμῷ, enucleare conabitur.

MICHAEL HEILANDUS, Medicinæ D. & Profeſſor Ordinarius, quamprimum Lipſiâ huc devenerit ſoſpes ſalvusq́, munus ſuum ex uſu & commodo Studioſorum tractabit, ſpartamq́, quam legitimâ vocatione acceptavit, ex peritiâ artis χαριεστάτως exornabit.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

M. CASPAR EBELIUS, Metaphyſicæ & Logicæ Profeſſor Primarius, Academiæ Senior, Logicam & Metaphyſicam ſuam publicè explicabit, quod ſi infirmitate corporis fortè impeditus, in Auditorio publico non poterit comparere, nihilominus Deo juvante exercitia illa quæcunque in ædibus ſuis exantlabit. Collegia privata, Logicum & Metaphyſicum, pro captu & Auditorum deſiderio & frequentia habebit. Diſputationes publicas, ſive graduales, ſive alias quaſcunque in Logicis & Metaphyſicis, pro lubitu Dnn. Studioſorū pariter continuabit.

M. JOHANNES CUNRADUS DIETERICHIUS, Græcæ Linguæ & Hiſtor. Profeſſor, h. t. Acad. RECTOR, in exercitiis Hiſtoricô-Græcis officii ſui rationem expendet; *Collegiumq́ hiſtoricum Cæſareographicum,* cùm plus otii nactus fuerit; ex temporis commoditate Collegarumque beneplacito continuabit.

JACOBUS LEBLEU V. J. D. *& Civilis Prudentiæ Profeſſor,* in prælectionibus publicis explicabit partem primam Politicæ Buxhornianæ, addetque controverſias præcipuas Frachettæ, quas exhibet in Seminario Status & Belli; Collegia quoque privata aperiet.

KILIANUS RUDRAUFFIUS *Ph. M. Log. & Met. Prof.* in publicis, quas hactenus ad finem perduxit diſciplinas, de novo aſſumet explicandas. Totius Metaphyſ. ſtudii curriculum tentabit dignè tractare & cum fructu abſolvere, ſeorſim propoſiturus controverſias, ſeorſim præcepta, axiomata, & quæcunque in ſingulis materiis tenendæ erunt diſtinctiones ſelectiores, illas publicè, hæc privatim, ut qui privatis publicas junxerit, intra unius ſemeſtris ſpatium tantum in hac ſcientia impetrare poſſit, quantum etiam altiora ſpiranti fuerit neceſſarium, & tandem, ne quid deſiderari poſſit amplius, explicata ultimo cujusve hebdomadis die exponet examini publico. Atque hâc ſuâ induſtriâ convenientique adhibendâ methodo, Deo benedicente, præſtabit, ut nemo de ſtudii hujus difficultate & perplexitate jure conqueri, aut ad Clancularios Axiomatarios, tanquam ignorantiæ hactenus aſyla cum damno ſuo confugere, maximéq; neceſſaria tranſire poſſit. Collegium Philo-Theoſophicum porrò continuabit & Logicum privato-publicum, ſicut paucæ habendæ reſtant diſputationes, abſolvet, inque ejus locum, ut dictum, Publicum Metaph. ſurrogabit. Privatim Coll. habebit Log. & Metaph. explicatoria & diſputatoria, præſertim illud ſignificatum explicatorio diſputatorium Metaph., cui ſingulis diebus binæ impendentur horæ.

M. JOHANNES Weiß *Phil. Mor. Prof. Ord.* publicè lectiones Inſtitutionum Moralium, & exercitationes diſputationum publicarum, favente Deo, debitâ diligentiâ continuabit. *Privatim* verò collegia ETHICA tam explicatoria, quàm diſputatoria, pro lubitu Dnn. Studioſorum aperiet.

FRIDERICUS Müller *in lectionibus publicis* primum exponet ea, quæ ad cognitionē præſentis *Conjunctionis Magnæ* ♃ *& Saturn.* facere videbūtur; poſtea abſolutæ *Arithmeticæ & Geometricæ* ſubjunget *Opticam. Privatis* auditoribus tradet *Aſtronomica & Geographica* præcepta; *Architectonicam* quoque publicis diſputationibus enucleabit.

LAURENTIUS STRAUSSIUS, *Medic. D. Ejusdemq́ & Phyſic. Profeſſor Ordinar.* eâ quâ cœpit viâ, in *Compendii Univerſ.* Explicatione, volente Deo, perget; privatam quoque opellam Dn. Studioſorum deſiderio conſecrabit, captuique accommodabit.

PHILIPPUS LUDOVICUS HANNEKENIUS, *Orator: Prof. Ordinarius publico* inſervituros auditorio, Orationes oratorum more L. v. nas reſolvet, hiſtoriæ ſemper addito nexu indeque deductis conſectariis politicis, ut cum verborum copia rerum ſimul apparatus acquiratur, quo ſine ſonus magis quàm vox eſt caſſa oratoris loquentia. *Privatam* verò operam in Declamationum exercitio collocabit, aut, ſi auditoribus placuerit, Epiſtolarum collegium continuabit.